



Bavariae Sanctae Volvmen ...

Rader, Matthäus

Monachii, M.DC.XXIV.

S. Henricvs Ex Babone Abvsino Dynasta natvs, Peregrinvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79699)

S. HENRICVS

EX BABONE ABVSINO DYNASTA NATVS,
PEREGRINVS.

BAbonem Abusinum dynastam consensu tradunt re-
rum scriptores, duorum & triginta stirpis virilis, octo
muliebris, liberorum parentem fuisse, omnesque si-
mul ab eodem ad Henricum sanctum Augustum
adductos, eiusque clientelæ traditos, qui singulos
præfecturis & dynastiis ornauit. Quanquā de liberorum numero,
res ab nonnullis in dubiū vocetur. Hic Rietenburgicus Comes fer-
tur patrimonio neglecto, cultūq; peregrini sumpto pauper egensq;
ritu sancti Alexij ob spem immortalis vitæ terras obisse, sacras ædes,
religiosa & prodigiis inclita templa lustrasse, demūque ad vicum
Ebratshausium ad Mainburgum diuertisse, agnitūq; ibi vltimum
clausisse diem. Ad defuncti cineres ædícula condita; ingens popu-
li ad conditorium concursus factus. Diuus ipse miraculis incla-
ruit. Iam quod ex peruetusto Cod. M. S. bibliothecæ S. Emme-
ramni V Volfgangus Selender antistes Braunauicæ apud D. V Ven-
ceslaum exscripsit, ego ex eodem Cod. hic subscribo: B. Henricus
Burgravius de Rietenburg filius Ottonis superius memorati, cum
abundaret omnibus diuitiis & deliciis, amore Iesu Christi spreto &
posthabitis omnibus peregrinari voluit, atque prolixioris exilij in-
commoda lubens sustinens in peregrino habitu per annos XL. cir-
citer mansit. Hic tandem venit in Ebratshausen, villam juxta Gei-
senfeld Ratisponensis dioceseos, ibique visus & agnitus, quieuit,
in domino sepelierunt eum viri timorati, ejusdem loci villani. Ad
cuius tumulum fabricatam esse capellam memoratur, fierique con-
cursus maximos populorum, & crebra miracula, præstante domi-
no nostro Iesu Christo, qui est benedictus & mirabilis in sanctis
suis per secula. Hæc Selender.

Cæterum de hoc B. Viro ex parœci Geisenfeldensis, qui in huius
diui monumenta accuratissimè inquisiuit, literis, hæc cognoui.

Quæ hic de nomine & stirpe S. Henrici legis excerpta sunt ex
antiquis literarum tabulis, & monumentis, quæ, hodièque seruan-
tur apud S. Emmerani cœnobium Ratisponæ, ibidèmq; apud
Scotos, & Rorum, Biburgum, V Valderbachium, quarum fere æ-
dium maiores S. Henrici præfecti & conditores fuere.

S. Henri-

CLD. LX. circiter.
Ex Chron. S. Emme-
ran. sub fin. IV. lib.
Hund. Stem. p. 124.
Auent. l. 7. p. 328.
Ex bibliotheca S. Em-
merani Ratisp.
M. S. Codic.
Volfsg. Selender Ab-
bas p. 123.

Ebratshausen bey
Geisenfeld.

S. Henricus ex antiquissima & nobilissima Auenspurgiōrū seu
 ut alij tradidere, Rietenburgensium dynastarum, quorum tamen
 idem est genus, familia oriundus patrem habuit Babonem illum
 polytecnon & quadraginta vti Stemma docet, liberis felicem duo-
 bus inquam & triginta virilis stirpis, octo muliebris è duabus vxori-
 bus ordine ductis: anno c10. xxx. defunctum, auum itidem Ba-
 bonem anno nongentesimo nonagesimo quinto rebus humanis
 exemptum, proauum Bertholdum atauum Arnulphum Comitem
 Schirensē, abauum Arnulphum Ducem Boiorum & Carinthiæ
 è quibus prognata quoque est stirps Serenissimorum Principum
 Boiariæ qui hodièque imperant. Matrem Bertham dixere S. Leo-
 poldi Austrij filiam Ratisponæ in Scotorum æde conditam. Henri-
 cus condito V Valderbachio cœnobio, relicta patria paternisque
 bonis, supplicabundus Hierosolymam petiit, aliâque miraculis in-
 clita per orbem Christianum loca religiosissimè inuisit, ac tandem
 redux Ebertzhufij haud procul Mainburgo æger decubuit ac piam
 Deo conditori ibidem reddidit, eodem loci humatus est. Hæc pa-
 rochus Geisenfeldensis: qui vehementer laborat vti sacræ eius
 reliquiæ Geisenfeldium transferantur, majorèque
 cultu afficiantur.

